

cohærere cum manifesta viventis unitate queat, equidem nescio.

Objic. 4.^o Nihil notius est, quam quod in homine adsit pugna inter appetitum sensibilem et rationalem. Atqui pugna ejusmodi nec esse nec intelligi potest, nisi saltem duplex principium vitæ admittatur, alterum, unde appetitus sensibilis, alterum, unde profluat rationalis. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Est pugna, quæ se teneat ex parte subjecti, quatenus uterque appetitus secundum suam physicam entitatem non *possit* esse in eodem subjecto, *neg.* Est pugna, quæ se tenet ex parte objectorum, quatenus quædam objecta cum non conveniant subjecto rationali, non *debent* appeti, unde oritur conflictus inter appetitum sensitivum, ad ea inclinantem, et rationem ac voluntatem, motus illius cohibentem, *conc.*

Contradist. Minor.: pugna, quæ se teneat ex parte subjecti, *conc.*: pugna, quæ se teneat ex parte objectorum, *neg.*, et *neg.* conseq. Nullum genus actuum est in appetitu sensitivo quod non sit in eodem subjecto, in quo sunt actus appetitus rationalis, ut constat ex testimonio conscientiæ: præterea nullum genus actuum est in appetitu sensitivo, quod non possit simul esse in eodem subjecto, libere approbante vel consentiente actus illos. Id vero manifeste probat actus illos non habere ullam repugnantiam physicam vel incompossibilitatem ex parte subjecti, ac proinde ab eadem anima tamquam a primo principio procedere. Immo vero ex hac ipsa appetituum pugna colligitur unitas animæ in homine. Certum enim est, cum conflictus ejusmodi accidit, posse rationem imperio cohibere actus inferioris appetitus; id autem non intelligitur, quomodo fieri posset, si anima, cujus est sensibilis appetitus, diversa esset ab anima, unde profluit ratio rationalisque appetitus. Aliæ difficultates, potissimum eæ, quæ hominem respiciunt, cum plurium aliarum quæstionum notitiam requirant, alibi commodius dissolventur (1).

(1) Vide interea, si placet, S. Thom., Qq. disp., quæst. *de Anima* art. 11.: 1 p., quæst. 76, art. 3.

ARTICULUS III.

Utrum omnis anima sit indivisibilis vel extensive simplex.

Controversia hæc, quoniam non potest eadem communi responsione resolvi respectu omnis animæ, amandari potuisset ad peculiare tractatus diversorum generum viventium: nihilominus cum aliunde pertineat ad complementum traditæ doctrinæ circa individualem organismi unitatem, in hoc potius loco agitanda esse nobis visa fuit.

§ I.—STATUS QUÆSTIONIS: VARIE SENTENTIÆ.

61. Quod terminorum intelligentiam attinet, indivisibile dicitur, quod caret partibus, in quas dividatur: quare quot modis contingit partes habere, tot modis aliquid dici potest divisibile: vel aliter, quot modis potest dici *totum*, tot modis potest dici et esse divisibile. Verum non est hic sermo de divisibilitate in partes metaphysicas, genus et differentiam, quæ certe considerari possunt in anima; nec de divisibilitate in partes potentiales seu virtutes ac potentias operativas, de his enim generatim egimus in præcedenti capite, et speciatim agemus disputantes de singulis viventium generibus; nec sermo est de partibus physicis essentialibus, materiæ et forma, nam cum anima non sit corpus, sed forma substantialis, ut jam probatum manet, nequit habere hujusmodi partes, sed est omnino essentialiter simplex. Sermo est ergo solummodo de divisibilitate in partes physicas integrantes vel quantitativas. Non autem quaeritur, nunc quomodo anima habeat ejusmodi partes integrantes, utrum formaliter ex sese, an vero illas formaliter accipiat a quantitate; hæc enim quæstio continetur sub generali quæstione respiciente formalem effectum quantitatis, quam agitavimus in *Cosmologia* (1). Solum ergo quaeritur, an omnis anima, saltem prout existens in corpore quanto, sit divisibilis in partes, sicut

Quid
indivisibile.

et quod simplex.

Status
quæstionis

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 207, pag. 756 seqq.

dividitur materia, undecumque tandem formaliter proveniant illæ partes, sive a quantitate, sive aliunde, pro diversitate opinionum circa formalem effectum quantitatis. Sermo pariter est de divisibilitate animæ non per se, sed per accidens; quia non solum formæ, sed ipsa quoque materia, etiam in sententia eorum, qui tenent eam non accipere formaliter a quantitate partes suas integrantes, non est tamen divisibilis *instrumento physico* nisi per quantitatem, et hoc sensu dicitur divisibilis *per accidens*, nempe ratione quantitatis, non autem *per se*, quia cum per se non habeat impenetrabilitatem, non potest attingi physico instrumento; quo pacto sola quantitas est *per se* divisibilis (1). Jam triplex superioris distinctimus genus animarum, rationale, sensitivum et vegetativum. Ac de rationali quidem anima nulla est inter Philosophos controversia: omnes enim, præeuntibus Patribus Ecclesiæ (2), illam agnoscunt simplicem extensive seu prorsus indivisibilem, idque Durandus putavit pertinere ad fidem (3). Suarez (4) autem alique putant esse proximum fidei, quia nempe indivisibilitas sequitur ex aliis fidei veritatibus. Solum in contrarium referuntur ex tota antiquitate Cleanthes et Chrysippus (5) et quidam alii postea (6): ideoque graviter carpuntur a gravissimis scriptoribus (7) Jandunus et Pomponatius, quia putarunt omnem formam *secundum rationis lumen* esse divisibilem, et sola fide tenendam esse rationalis animæ indivisibilitatem.

Varie
opiniones.

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 211, pag. 776. Cfr. num. 103, pag. 708.
(2) Apud Suarez (*de Anim.*, lib. 1, cap. 13, num. 1). Rubium (*de Anim.*, lib. 2, cap. 3, tract. *de modo quo anima informat corpus*, quæst. 1, num. 87) et Martinez Prado (*de Anim.*, lib. 2, quæst. 9, num. 4).

(3) Durandus, 1.^o dist. 8, quæst. 3.

(4) Suarez (*de Anim.*, lib. 1, cap. 13 num. 1). Cfr. Rubium (*de Anim.*, lib. 2, cap. 3, tract. *de modo quo anima informat corpus*, quæst. 1, num. 87).

(5) Quos citat S. Gregorius Nyssenus (lib. 2, *de Anim.*, cap. 2).

(6) Apud Sixtum Senensem (*Biblioth.*, lib. 1, annot. 8) et Argentinatensem (1.^a dist. 8, quæst. 2, art. 1).

(7) Vide v. g. Cardin. Toletum (*de Anim.*, lib. 2, quæst. 5), Rubium (loc. cit.), Cardin. Aguirre (*Physiol.* disp. 82, sect. 4, num. 40), etc.

Deinde quod attinet animas plantarum et animalium imperfectiorum, communis pariter, est ac tanquam communis refertur a veteribus (1), sententia Scholasticorum, tenentium cum Aristotele ac S. Thoma eas esse omnes divisibiles. Contrariam sententiam tribuit Marsilius Ficinus (2), Platoni, Ammonio, Plotino ac Porphyrio, quam etiam tenuerunt S. Augustinus (3), Nemesius (4) et Simplicius (5), et videtur etiam S. Bonaventura (6), ac postea Narsilius Ficinus et Cajetanus Thienensis (7) et quidam alii, eosdemque secuti sunt recentioribus temporibus nonnulli scriptores clarissimi et Scholasticorum doctrinis addicti (8). Denique PP. Sylvester Maurus (9) et Antonius Bernaldus Quiros (10) concedunt animas plantarum divisibiles esse, animas vero animalium etiam imperfectiorum volunt esse indivisibiles.

Dissent tamen vehementer Scholastici circa divisibilitatem vel indivisibilitatem animarum brutorum perfectiorum. S. Thomas (11), Albertus M., Alexander Halensis, Hervæus (12), Card. Cajetanus de Vio (13), Ferrariensis (14),

(1) Vide v. g. Suarez (loc. cit., num. 2), Rubium (loc. cit., quæst. 2), Conimbric. (*de Anim.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 8, artic. 1), Soarez lusitanum (*de Anim.*, tract. 1, disp. 1, sect. 5, num. 125), Joann. Martinez Prado (*de Anim.*, lib. 2, quæst. 9, num. 14), Mastrium (*de Anim.*, disp. 1, quæst. 5).

(2) Marsilius (*de Theolog. Platonis*, lib. 1, cap. 3 et lib. 8, cap. 1). Cfr. S. Gregor. Nyssenus (op. cit., lib. 2, cap. 1) Conimbricenses (loc. cit.).

(3) *De Quantit. Anim.*, cap. 31.

(4) *De natura hominis*, cap. 2.

(5) Apud Cardin. Tolet. (loc. cit.).

(6) 2.^o dist. 15, art. 1, quæst. 1 in solut. objectionum versus finem.

(7) *De Anim.*, lib. 2, text. 22.

(8) Vide v. g. cl. A. Farges (*La Vie et l'Evolution des espèces*, pag. 78 seqq.), cl. Vallet (*La Vie et Héredité*, pag. 84 seqq. et pag. 90, 91, 92), Cuevas (*Cosmologia*, pag. 390 seqq.), Tongiorgi (*Psychol.* num. 79 seqq.).

(9) *Quæstiones philosoph.*, lib. 4, quæst. 27.

(10) *Cursus philos.*, disp. 81.

(11) S. Thom., 1.^a p., quæst. 76, art. 8, Qq. disp. *de Anim.* art. 10, 2.^a *Contra Gent.* cap. 72, etc.

(12) Apud Conimbricenses et Rubium locis mox citandis.

(13) In 1.^{ta} part., quæst. 76, art. 8.

(14) In lib. 2.^{um} *Contra Gent.* cap. 72.

Bañez (1), Joannes a S. Thoma (2), Collegium Complutense S. Thomæ (3), Cardin. Aguirre (4), Complutenses Carmelitani (5), et communiter Thomistæ, et ex nostra Societate Conimbricenses (6), Sylvester Mauri (7), censent animas brutorum perfectiorum esse indivisibiles penitus atque extensive simplices. At divisibiles esse arbitrantur alii plurimi Auctores, nempe Aegidius Romanus (8), Scotus (9), Durandus (10), aliique e veteribus (11), quos secuti sunt Scotistæ communiter (12), et e nostra Societate Suarez (13), retractans sententiam, quam junior tradiderat (14), Toletus (15), Rubius (16), Soarez lusitanus (17), De Benedictis (18), Petrus Hurtado (19), Compton (20), Arriaga (21), Ovidius (22), Rhodes (23), Antonius Mayr (24), Lossada (25) et alii. Et hanc sententiam innuit Card. Cajetanus (26) fuisse communem suo tempore,

(1) In 1.^{um} part., quæst. 76, art. 8, dub. 2, conclus. 5.^a

(2) *De Anim.*, quæst. 2, art. 1.

(3) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 2, num. 98 seqq.

(4) *Physiol. disp.* 82, sect. 4.

(5) *De Anim.*, disp. 5, quæst. unic.

(6) *De Anim.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 8, art. 3.

(7) *Quæst. philos.* lib. 4, quæst. 27.

(8) 1.^o dist. 8, part. 2, quæst. 3.

(9) 4.^a dist. 44, quæst. 1, art. 1.

(10) 1.^o dist. 8, part. 2, quæst. 3, num. 10.

(11) Apud Suarez, *de Anim.*, lib. 1, cap. 13, num. 6; et Conimbricenses loc. cit. art. 2.

(12) Vide Mastrium (*de Anim.*, disp. 1, quæst. 5, Pontium *de Anim.* disp. 7, quæst. 8).

(13) Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10, num. 31. *Cfr. de Anim.*, lib. 1, cap. 2, num. 19.

(14) Suar. *De Anim.*, lib. 1, cap. 13, num. 9 seqq.

(15) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 5, conclus. 2.

(16) Loc. nup. cit. quæst. 3.

(17) *De Anim.*, tract. 1, disp. 1, sect. 5, paragr. 4.

(18) *Philos. perip.*, tom. 3, lib. 8, quæst. 1, cap. 6.

(19) *De Anim.*, disp. 2, sect. 4.

(20) *De Anim.*, disp. 8, sect. 3 fin.

(21) *De Anim.*, disp. 1, sect. 4.

(22) *De Anim.*, contr. 1, punct. 6.

(23) *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 15, quæst. 2, sect. 1, paragr. 4.

(24) *Philos. perip.*, quart. part. num. 162.

(25) *De Anim.*, disp. 3, cap. 1.

(26) Loc. nup. cit.

quavis eam illo suo loquendi modo, nec semper modesto, nec semper sat urbano *modernorum communem phantasiam* appellet. In quibus tamen *modernis* videtur numerandus esse ipsemet *Princeps Thomistarum*, Capreolus, qui docet in nutritione brutorum animantium, secus atque in nutritione hominis, *novam partem animæ acquiri* (1), id quod necessario supponit divisibilitatem animæ. Idem multo clarius ac disertis verbis docuit alter haud vulgaris notæ Thomista, Paulus Soncinas (2), et videtur etiam Chrysostomus Javellus (3). Denique alius clarissimus sacri ordinis Prædicatorum scriptor, M. Joannes Martinez de Prado, tuetur quidem indivisibilitatem animæ brutorum, non eam tamen *radicalem*, sed *proximam*, nempe non eam quæ importet carentiam partium integrantium, sed tantum separabilitatem earum, vel potius capacitatem, ut existant separatae vel per tempus breve. Quin etiam diserte, concedit ejusmodi animæ partes extra partes (4). Jam vero id est, quod unice contendunt generatim auctores divisibilitatem animarum propugnantes; tum quia id diserte notant plures, tum quia communissime concedunt id, quod experientia testatur, nullam partem organismi animantium perfectiorum absissam vivere. Et non multo post gravissimus et studiosissimus D. Thomæ discipulus et interpres, Sylvius, hanc eandem Cajetaniam *phantasiam* tamquam probabilem doctrinam sectatus fuit, eademque videtur longe frequentior, saltem extra Thomistarum scholam, evasisse duobus hisce præteritis sæculis; nostrisque diebus sustinetur a cl. P. Joseph Mendive (5) et cl. P. Van der Aa (6).

§ II.—RESOLVITUR QUÆSTIO CIRCA RATIONALEM ANIMAM.

Relatæ hactenus scriptorum sententiæ ad quatuor omnino revocantur, quarum duæ sunt extremæ ac duæ mediæ:

(1) 2.^a dist. 15, quæst. 1 ante fin.

(2) *Metaphys.* lib. 8, quæst. 11.

(3) *Metaphys.* lib. 8, quæst. 4.

(4) M. Joannes Martinez de Prado, *de Anim.* lib. 2, quæst. 9, paragr. 4, num. 46, paragr. 5, num. 72 seqq.

(5) *Cosmolog.* num. 397 seqq.

(6) *Organologia* propos. 62.

prima extrema tenet omnes prorsus animas esse divisibiles, altera extrema omnes esse indivisibiles: prima media docet animam rationalem et animas brutorum perfectiorum esse indivisibiles, reliquas omnes divisibiles; altera media solam rationalem putat esse indivisibilem. Extremarum prima est omnino falsa, secunda vix videtur probabilis: mediae sunt ambæ probabiles.

62. PROPOSITIO 1.^a Certissime tenendum est animam rationalem esse prorsus indivisibilem, et extensive et integraliter simplicissimam.

Anima
rationalis est
penitus
indivisibilis.

Prob. 1.^a Si anima humana esset divisibilis, esset pars ejus in una parte, et pars in alia parte materiæ, sicut formæ corporum inorganicorum. Et sic abscissa una parte corporis, v. g. manu vel pede, abscinderetur pars animæ, partem illam materiæ informans. Ergo ea pars sic separata vel corrumperetur, vel maneret. Primum est contra Fidem et rationem naturalem; anima enim rationalis est immortalis, ut suo loco demonstrabitur. Alterum etiam nequit dici: nam ubinam gentium manet illa anima pedis vel manus? cur non vivificat membra abscissa? habetne intellectum, an non? Si habet: ergo in homine forent plures intellectus. Si non habet: ergo anima hominis non est intellectiva (1). An demum dices partem animæ abscissam retrahi ad corpus, unde membrum amputatum fuerat? Verum tunc erunt duæ partes animæ in eadem parte corporis compenetratæ; nec intelligi potest, quomodo erunt, nam utraque certe non informat materiam; quæ autem pars non informat materiam, quid tandem facit?

Prob. 2.^a Anima rationalis est principium, quod cogitat, sentit, appetit, et vult in homine. Atqui principium ejusmodi est indivisibile prorsus atque extensive simplicissimum. Ergo anima humana est indivisibilis.

Minor luce meridiana clarior est ex conscientia testimonio. Nam certissime atque ineluctabili evidentia sentimus esse in nobis unum aliquid, quod cogitat, et vult, sentit per omnes quinque sensus exteriores et per interiores. Atqui

(1) Vide Suarez, *de Anim.*, lib. 1, cap. 13, num. 1.

si principium horum omnium actuum non esset indivisibile, non possemus habere conscientiam unius alicujus illorum omnes elicentis. Sed sicut habemus conscientiam plurium partium nostri suppositi, in quibus exercentur variæ sensationes, ita deberemus habere conscientiam plurium partium, a quibus seorsim actus vitales elicerentur. Si ergo idipsum quod cogitat in me hic et nunc, et de hac re et genere cogitationis, cogitat semper et ubique et de quavis alia re ac genere cogitationis, et idipsum appetit, et vult omnia, quæ appeto e volo, et videt oculis et audit aure, et tangit, vel toto dolet corpore et singulis ejus partibus, necesse est fateri esse illud omnino simplicissimum.

Prob. 3.^a Unde hoc aliud urgetur argumentum. Si anima rationalis pluribus constaret partibus, vel omnes illæ intelligent, ac vellent, et sentirent, vel una tantum. Si una, illa sola esset rationalis anima hominis. Si omnes, deberet in nobis esse conscientia plurium intelligentium, volentium, sentientium, ita ut quod una pars intelligit, vult, sentit, non intelligeret, vellet sentiret alia, nec ei innotesceret, nisi a priori referretur: nec proinde possemus alias aliis cogitationes, volitiones, sensationes comparare, nisi prævie præcessisset mutuam partium colloquium et communicatio: quorum nihil in nobis contingit.

Prob. 4.^a Si anima rationalis esset divisibilis et extensa, vel omnes partes libertate præditæ essent, vel una tantum. Si una, illa sola foret anima rationalis; nam demonstratur animam rationalem esse liberam, et ex ratione intellectivi sequitur necessario ratio liberi, et consequenter ubi non est libertas, ibi nec est etiam intellectus, ac proinde deest natura et conditio rationalis animæ, ut nunc supponimus, et constabit ex demonstrandis suo loco. Si autem omnes forent liberæ, in primis deberemus habere conscientiam plurium libere agentium intra nos; deinde possent una rem eandem velle, et altera nolle, una ambulare, dormire, etc., et altera non: unde adessent perpetui conflictus in homine. Item posset una peccare, altera mereri: quid tum? alteram præriteret, alteram non; una præmio, altera supplicio esset afficienda. Id autem quomodo fieri posset? An discernenda esset anima in partes, ut altera in cælum ascenderet, æternum beanda,

altera in inferos detruderetur, altera in placulari carcere purgatorii torqueretur? An dices singulas partes animæ non esse adæquate liberas, sed adæquatam libertatem animæ coalescere ex partibus et inadæquatis libertatibus singularum partium? Verum id non intelligitur, quomodo fieri possit; sicut intelligi nequit, quomodo facultas volitiva in homine coalescere possit ex partibus voluntatis, libertas enim est dos voluntatis, nec facultas cognoscitiva ex pluribus inadæquatis intellectibus.

Probari 5.^o potest ex conditione actuum intellectualium; arguunt enim perfectam principii efficientis simplicitatem. Sane actus intellectivi vel sunt simplices apprehensiones, vel judicia immediata, vel ratiocinia. Simples apprehensiones non solum nullam præ se ferunt in seipsis entitativam extensionem, verum sæpe ne objectivam quidem, videlicet cum expriment objectum simplicissimum, v. g. rationem abstractam et præcisam entis. Judicia immediata continent quidem compositionem, quæ prædicatum cum subjecto copulat; sed ipse actus copulans est simplicissimus in se, et ab eodem subjecto, quod cognovit prædicatum et subjectum, necessario ponendus. Ergo vindicat principium vel subjectum simplicissimum. Idemque valet de ratiocinio, quod quamvis majorem adhuc actuum præ se ferat compositionem, arguit tamen facultatis ac principii simplicitatem; tum quia ipse actus illationis simplex est, tum quia omnes actus ratiocinii necessario poni debent ab eodem subjecto, sicut dictum est de immediato iudicio.

Denique probari posset ex spiritualitate animæ rationalis, quia nempe substantia spiritualis indivisibilis sit, oportet. Verum quia principium istud, licet communissimum apud Scholasticos, non caret suis difficultatibus, abstineo ab hoc argumento. Et alibi, cum sermo erit de discrimine inter materiale et immateriale vel spirituale, disputabitur, Deo volente, utrum spirituale necessario debeat esse indivisibile.

63. **Dices 1.^o** Extensum et corporeum est illud, quod recipitur in toto corpore, ac per totum corpus diffunditur. Atqui talis est anima rationalis. Ergo...

Resp. Dist. Major. Si recipiatur in toto corpore modo extenso, et per totum corpus diffundatur ita, ut una pars sit

Quædam
difficultates
dissipate.

in una parte corporis, et alia in alia, *conc.* Secus *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Dices 2.^o Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Atqui recipiens animam est corpus extensum. Ergo anima extenso modo recipi debet.

Resp. dist. Major. Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, id est secundum aptitudinem et capacitatem recipientis, *conc.*; ita ut id quod recipitur, debeat habere vel induere naturam et conditionem recipientis, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Dices 3.^o Extensum esse debet illud, quod ab extensis corporibus afficitur. Atqui anima afficitur ab extensis corporibus. Ergo...

Resp. dist. Extensum est illud, quod per se atque immediate afficitur a corporibus extensis, *conc.* Quod afficitur ab illis solum ratione corporis, cui unitum substantialiter est, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Dices 4.^o Si anima rationalis esset indivisibilis, deberet esse tota in singulis partibus. Atqui hoc videtur absurdum; nam tunc esset anima multis in locis replicata, quod naturaliter fieri nequit.—**Respondeo,** *neg.* Minorem, et ejus probationem. Replicatio namque non est præsentia rei quomodolibet in multis locis, sed præsentia in multis locis adæquatis. Jam vero locus animæ adæquatus, dum informat corpus, non sunt singulæ partes seorsim sumptæ, sed corpus totum, nam est forma illius. Verum hæc et alia, quæ ex animæ præsentia in toto corpore objici queunt, alibi opportunius dissolvuntur (1).

Dices 5.^o Nihil potest simul moveri et quiescere, vel moveri contrariis motibus. Sed si anima humana esset indivisibilis deberet simul moveri et quiescere, vel etiam contrariis motibus moveri. Nam si est indivisibilis, erit tota in singulis membris corporis; moveantur ergo brachia contrariis motibus, alterum sursum, alterum deorsum, et quiescat reliquum corpus; anima simul quiescet, et movebitur, et quidem contrariis motibus.—**Respondeo dist.**

(1) Vide interea S. Thom., 1^a p., quæst. 76, art. 8; 1.^o dist. 8, quæst. 5, art. 3; de *spirit. creat.*, art. 4; de *Anima*, art. 10, et alibi.

Major. Per se et secundum idem, *concl.*: per accidens et secundum diversa, *neg. Contradist.* Minor. et rationem additam. Anima namque corpus informans non movetur per se ac ratione sui, sed ratione corporis, quod informat. Cum ergo corpus secundum diversas partes possit procul dubio moveri, et quiescere, ac contrariis motibus moveri, nihil mirum, si idem accidat animæ; tunc enim hæc non movetur, et quiescit secundum idem, sed secundum diversa.

Dices 6.^o Si anima rationalis foret indivisibilis, abscissa manu v. g., deberet se retrahere vel contrahere in cubitum. Atqui hoc impossibile est: nam ubi non datur extensio ob carentiam partium integrantium, nec potest dari contractio.

Resp. *neg.* Major. Quia retractio et contractio important motum localem, et supponunt extensionem in subjecto retracto vel contracto. Anima vero, abscisso quolibet membro, non retrahitur, nec contrahitur, sed tantum desinit esse in illo membro, atque amittit aliquam ubicationem, quin cæteras amittat, ac proinde quin loco moveatur.

Dices 7.^o Si abscissum membrum ab humano corpore, iterum arte chirurgi adhærescat, reviviscit, ac operationes saltem vegetativas exercere potest. Atqui hoc fieri non posset, si in abscisso membro non mansisset aliqua particula animæ; nam ut fert effatum, a privatione non datur regressus ad habitum. Ergo anima humana divisibilis dicenda est.—Resp. *neg.* Minor. Major videtur concedenda esse omnino propter experientias, quæ narrantur (1). Quod vero sola vegetatio aliquando exerceatur a membro abscisso et mox reintegrato, explicari potest ex eo, quod in eo organo nervi destructi sint, vel desit temperamentum vel alia aliqua conditio ad sentiendum necessaria. Cæterum quamdiu membrum abscissum adhuc retineat dispositiones sufficientes, ut informari possit ab anima, plane intelligitur, quo pacto queat corpori applicatum iterum coalescere et ab anima vivificari. Effatum porro videtur locum habere, quando forma penitus ab aliquo penitus subjecto recessit, tunc enim naturaliter non datur a privatione regressus ad habitum. Si autem forma remaneat in subjecto, et solum adest privato

(1) Vide supra, num. 54; pag. 366.

partialis ejusdem in membro, quod abscinditur, non videtur repugnare, quod possit informare partem illam adhuc debite dispositam, sicut eadem anima novam materiam nutritione acquisitam incipit informare et vivificare (1).

§ III.—RESOLVITUR QUÆSTIO CIRCA ANIMAS PLANTARUM ET IMPERFECTORUM ANIMANTIIUM.

64. PROPOSITIO 2.^a Anima plantarum et animalium imperfectiorum est divisibilis in partes integrantes.

Hæc mihi propositio videtur moraliter certa, eademque est communissima inter veteres Scholasticos, ut jam notavi, et non semel tradita est ab Aristotele et S. Thoma, ut mox ostendam.

Probatur autem 1.^o multiplici experientia tum animalium imperfectiorum, tum plantarum. Primo occurrunt plura phenomena multiplicationis scissiparæ vel fissiparæ et gemiparæ: prout enim jam superius tradidimus, hydræ ac plura animalia annulosa, ut lumbrici aut vermes terreni, et naides, si in plures partes secentur, totidem fiunt animalia, et mox in perfectum organismum ejusdem speciei evolvuntur (2). Deinde sunt alia, quæ si dividantur in partes, quamvis non convertantur in totidem individua ejusdem speciei, tamen in singulis partibus edunt manifesta vitæ signa, ita ut major illarum ac præcipua sæpe membrum amputatum nutritione reparat, altera vero plures horas, aut etiam dies, a reliquo corpore abscissa vivere queat, immo et nutrirî, et augescere, moveri, et sentire. Quam ad rem jam inde a remotissima antiquitate producebantur exempla insectorum et reptilium (3). Denique quod ad plantas pertinet, norunt omnes

Anima planta-
rum et
animalium
imperfectiorum
divisibilis est.

(1) Cfr. Suarez (*Metaphys.*, disp. 15, sect. 10, num. 33), Joann. a S. Thoma, (*de Anim.*, quæst. 2, art. 1. in fine solutionis objectionum), Mayr (*Philos. perip.*, pars quarta, num. 174).

(2) Vide passim Physiologos., v. g. Milne-Edwards, *Leçons sur la Physiologie*, tom. 8, pag. 304 seqq.

(3) Vide Aristot., *de Longitudine vitæ*, cap. ult.; *de Juventute ac Senectute*, cap. 1; *de Anim.*, lib. 2, esp. 2, text. 20. Vide etiam Milne-Edwards, *op. ac loc. cit.*, pag. 305 in nota, ubi refert facta quædam hujusmodi in ranunculis observata.

exempla ramorum et surculorum, qui a trunco resecti et apte humi defixi mittunt radices, et in novas ejusdem speciei plantas excrescunt, non secus ac si semine in terram jacto enatae fuissent.

In his aliisque similibus factis viderunt Scholastici communissime validissimum argumentum divisibilitatis animæ. Sane si partes divisæ organismi vivere pergunt eodem vitæ genere, necesse est, ut eadem, ac prius, anima informetur. Atqui anima eadem numero nequit partes avulsas et separatas informare. Ergo anima partes ejusmodi informans debet esse diversa et multiplex numero, et eadem specie. Jam vero ejusmodi animæ multæ factæ sunt sola mechanica divisione corporis, quæ nihil de novo generat, vel educit e potentia materiæ. Ergo signum est animæ entitatem, quæ est in singulis partibus divisæ etiam ante divisionem non informasse nisi illas, seu non se protendisse ulterius, atque adeo animas, quæ partes divisas informant, ante divisionem fuisse partes distinctas pristinæ animæ, quæ quamdiu erant unitæ, constituiebant unam actu animam et potentia multiplicem, ac mox per divisionem multæ actu evaserunt. Ita omnino fieri omnes arbitrantur cum materia corporis continui, immo et cum toto continuo regni mineralis, cum dividitur in plures partes; nam entitas illarum partium, cum separatur, ut seorsim existant, non de novo gignitur, sed prius aderat, quamvis unita cum cæterarum partium entitate. Et sic etiam ipsemet Angelicus Doctor, ut statim videbimus, æquiparat in hoc formas vegetaliū imperfectorum cum formis, sive substantialibus sive accidentalibus, corporum inorganicorum, quæ extensæ sunt ac per accidens divisibiles, et cum toto continuo, quod quamvis unum est actu propter unionem partium, est tamen multiplex in potentia, et fit per divisionem actu multa, non quia aliquid de novo generatur, sed quia abrupta unione partes seorsim esse incipiunt.

In aliis animalibus, quorum non omnes partes diu abscissæ vivunt, nec in nova ejusdem speciei animalia convertuntur; non est adeo manifesta hæc probatio. Verum etiam in illis satis efficaciter urgetur; quia quod illæ quoque partes, quæ tandem vitam amittunt, diutius pergant vivere abscissæ, non bene intelligitur, nisi admissio aliquo principio vitæ, quo

informentur, quodque prius unitum cum principio alias partes organismi informante, unam actu divisibilem animam efficiebat. Quod autem tandem istæ partes vivere desinant, mirandum non est, quia id accidit in partibus minoribus quorundam animalium vel insectorum, quorum organismus non est tam uniformis, sed habet quamdam organorum varietatem: quare si pars animæ, informans partem abscissam, non retinet organa præcipua deputata functionibus saltem vegetabilibus, nec virtutem sufficientem ad restaurandum organismum secundum typum suæ speciei, natura ipsa perire debet tamquam inepta ad ens completum in sua specie conficiendum (1). Dicendum ergo est generatim animas plantarum et imperfectiorum, animalium esse divisibiles.

Si quis autem quærat, quid veniat nomine animalium imperfectiorum, variæ solent dari responsiones; sed videntur ea esse intelligenda, quæ rudiorem organizationem vel parvam habent organorum varietatem, ideoque pauciores aut minus perfectas exercent operationes ordinis sensitivi, unde imperfectiorum virtus et minor animæ præstantia perfectioque colligitur. Id porro a nobis cognoscitur vel a priori, ex ipsa organismi consideratione, in quo fere uniformis quedam organizatio inest, ut in annulosis; vel a posteriori, ex hoc ipso quod partes decisæ atque avulsæ vivere queant.

Probatur 2.^o propositio. Præcipua ratio hujus veritatis est illa, quam exposuimus, a posteriori. Potest etiam confirmari quodammodo a priori cum S. Thoma ex ipsa imperfectione, quam animæ plantarum et quorundam animalium præ se ferunt, prout ostenditur ex imperfectiori eorumdem organizatione. Hinc enim sequi videtur animas ejusmodi assimilari formis corporum inorganicorum in suo modo entitatis et existentiae, ut sint nempe extenso ac divisibili modo. Audiatur. S. Thomas; *In plantis.... quædam partes divisæ ab eis, et separatæ ab aliis partibus, videntur vivere. Et hoc manifestatur per hoc, quod ramusculi abscissi inseruntur, vel plantantur, et coalescunt; quod non esset, nisi remaneret in eis vita, et per consequens anima, quæ est principium vivendi:*

(1) Vide Aristot., *de Juvent. et Senect.* cap. 1; *de Longitudine vitæ*, cap. ult.

Quid veniat
animalium
imperfectiorum
nomine.

quod contingit, tamquam in unaquaque planta anima sit una in actu, et multiplex in potentia. Sicut enim accidere videtur in formis corporum naturalium inanimatorum, ita in eis quæ propter sui imperfectionem non requirunt diversitatem in partibus, quod in aliquo uno solo anima est in actu una et plures in potentia, sicut et ipsum corpus est unum in actu et plura in potentia. Potest enim dici unumquodque eorum in diversas partes similes specie, sicut patet in aere, aqua et in corporibus mineralibus. Unde oportet, quod si partes sunt similes specie ad invicem et loti, quod forma specifica post divisionem sit in utraque partium. Et eadem ratione, quia anima plantæ imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diversitatem in partibus, unde anima totius potius potest salvari in aliqua partium. Et sic etiam videmus in aliis differentis animæ, sicut in entomis decisis, id est in animalibus, quæ decisa vivunt, quia utraque partium habet sensum. Quod patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur. Et etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet. Sic ergo in una et eadem parte apparet et sensitivum et motivum principium. Et si est ibi sensus, necesse est, quod sit phantasia. Phantasia autem nihil aliud est, quam motus factus a sensu secundum actum, ut infra dicitur. Et similiter si habeat sensum pars decisa, necesse est quod habeat appetitum; ad sensum enim de necessitate sequitur lætitia et tristitia sive delectatio et dolor, etc. (1).

Discrimen
inter organismos
viventium
et continua
inorganica.

Unum tamen probe notatum velim, esse discrimen ali-quod inter organismos viventium et continua inorganica relate ad divisionem in partes integrantes. In inorganicis, quoniam substantia est per totam extensionem homogenea, quamvis divisio fiat in minutissimas partes, saltem donec veniatur in minima naturalia (2), quælibet earum durare potest in existentia non minus, quam ipsum totum divisum; secus autem accidit ob oppositam rationem in viventibus, quantumvis rudi gaudeant organizatione. Nempe in vivibus licet diversæ partes organismi diversis partibus animæ

(1) Thom., de Anim., lib. 2, lect. 4, paragr. b. Cfr. de Potent., quest. 3, art. 12, ad 5.^{um} Et vide Lossada, de Anim., disp. 3, cap. 1, num. 1, 2.

(2) Vide Cosmolog. num. 237, pag. 892.

divisibilis informetur, vitam tamen abscissæ non poterunt servare, nisi justam ac sufficientem magnitudinem habeant. Vita namque absque idonea organizatione, propriæ speciei conveniente, conservari nequit; idonea vero organizatio debitam magnitudinem partiumque varietatem requirit. Atque hæc demum causa est, cur etiam lumbri et plantæ, si in miniores partes dissecentur, nequeant amplius protrahere vitam.

Contra hæc insurgunt adversarii, potissimum rationem ab experientia petitam enervare perversis interpretationibus nitentes.

65. Dicunt enim 1.^o Marsilius Ficinus et Cajetanus Thienensis utramque partem abscissam vivere, non quod informetur animabus, quæ ante divisionem unam actu efficerent animam sicut partes integrantes efficiunt continuam extensionem; sed potius quia corrupta priori anima simplice atque indivisibili, binæ eductæ sunt de potentia materiæ, et in utramque partem divisam introductæ. Et in eandem doctrinam factique interpretationem videtur recidere sententia quorundam recentiorum, qui quamvis non putent priorem animam perire, contendunt tamen in momento divisionis novam produci animam, quæ membrum amputatum informat (1). Remque declarant exemplo seminis: sicut enim in semine licet non sit actu anima, adest tamen virtus activa, quæ, cum illud humo mandatur, accedentibus aptis causis naturalibus, e potentia materiæ animam educat; simili modo in membro abscisso plantæ, quamvis in momento divisionis nondum sit anima, potest tamen supponi aliqua proxima dispositio activa, ut, accedentibus debitis adjunctis, introduci possit.

Difficultates
quædam eno-
dantur.

Respondeo negando primum horum. Quo enim modo potuerunt per solam divisionem duæ animæ produci? et per quam causam? nam in illa amputatione solum interveniunt causæ mechanicæ, sicut in divisione cujuslibet alterius

(1) Cfr. Sylvester Mauri (Question. philos., lib. 4, quæst. 27, ad 8.^{am}) et Simplicius apud P. Joann. Martinez de Prado (de Anim., lib. 2, quæst. 9, num. 21).

continui. Præterea si partes abscissæ retinent dispositionem sufficientem ad recipiendas novas animas, cur non conservata est prior forma saltem in alterutra parte divisa? nulla siquidem forma perit in subjecto, quamdiu illud dispositum est ad illam conservandam. Denique animæ quæ introductæ denuo dicuntur, vel alterius sunt speciei cum existente, vel ejusdem. Alterius esse obstat experientia: habent siquidem eosdem motus et organizationem eandem, tantumque differunt in magnitudine, quæ speciem non variat. Deinde non facile est ostendere, quodnam agens materiam ad novi animalis generationem disponat. Si vero dicantur ejusdem: ergo ex corruptione individui unius sequitur alterius generatio ejusdem speciei, quod est impossibile. Ad hæc, si animal divisum corrumpitur, quia organa destruuntur debita ad illius conservationem, certe non poterit introduci nova illius speciei anima» (1).

Et per hæc etiam patet solutio alterius difficultatis, prout a recentioribus proponitur: quibus non favet comparatio seminis. Semen enim nullam habet organizationem, sed est instrumentum parentum ad novum individuum ejusdem speciei gignendum, et propterea jure in eo agnoscitur virtus evolutiva germinis et eductiva formæ de potentia materiæ. At vero partes abscissæ viventis retinent sufficientem organizationem ad vitales operationes exercendas, easque reapse pergunt obire ab ipso momento divisionis; quare non est ratio, cur in talibus partibus agnoscenda sit virtus productiva novæ animæ, et non vera anima, cujus entitas tota jam extiterit etiam ante divisionem, quamvis nondum separata et seorsim existens. Deinde semen antequam germinet, debet corrumpi; ramus autem vel pars amputata non debent prius corrumpi, ut mox organismum suum evolvant, sed contra debent non corrumpi. Demum semen non statim vivit, vel transit in organismum viventem; at partes plantarum et multorum animalium ab ipsa divisione edunt manifesta signa vitæ.

Dicunt 2.^o alii, utramque partem divisam vivere eadem anima.—Verum id impossibile est. Si enim ipsa rationalis

(1) Suarez, *de Anim.*, lib. 1, cap. 13, num. 4.

omniumque perfectissima anima non informat nisi partes unitas, quomodo poterit anima imperfectissima partes avulsas longeque inter sese distantes informare?

Dices 3.^o Saltem in phænomenis animalium, quorum una tantum pars divisa vivit, altera vero post vitam aliquamdiu conservatam tandem amittit illam, ut v. g. cauda lacertæ vel ranunculi, necesse non est animam divisibilem agnoscere; sed potest dici partes ejusmodi moveri, ac signa quædam edere vitæ, non propter animam, quæ informentur, sed propter spiritus vitales, quibus agitantur. Accedit, quod si cauda lacertæ v. g. informaretur anima, esset verum animal, utpote constans materia et forma sensitiva. Atqui hoc absurdum videtur. In quo enim genere vel specie animalium esset ejusmodi cauda?—**Respondeo.** Primum horum nihil urget; nam nec spiritus vitales tam diu durant, nec possunt esse principium operationum vegetativarum et sensationum, quales sæpe cernuntur in membris abscissis, ut jam superius monuimus. Relate ad alterum non una est veterum sententia. Card. Cajetanus de Vio (1), Chrysostomus Javel (2), alique negant partem ejusmodi esse dicendam animal, quamvis sit quoddam animatum partiale, quod reductive dumtaxat est in specie animalis, sicut pars est in specie totius. Ratio est, quia ad denominationem animalis non sufficit materia utcumque informata particula sensitivæ animæ, sed requiritur talis entitas animæ, quæ materiam informans possit constituere suppositum instructum debitis organis ad exercenda opera vitalia propriæ speciei ex intentione naturæ. Quæ doctrina multo melius intelligitur, si supponatur id, quod multi docent animas divisibiles posse constare partibus integralibus heterogeneis secundum varietatem organismi, quem informant. Tunc enim planius apparet, portionem illam animæ, quæ non contineret, saltem moraliter, totam illam varietatem efficacitatis ac virtutis, quanta requiritur ad tribuendum organismo apparatus omnium vel certe præcipuorum organorum, ad propriam speciem animalis pertinentium, non sufficere ad

Utrum partes separabiles organismi viventis, quando dividuntur, dicende sint individua viventia.

(1) In 1.^{am} part., quæst. 76, art. 8, *Ad primum horum.*

(2) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 9, *Quantum ad secundum...*

constituendum justum animal. Ex adverso Magister Dominicus Bañez (1), Joannes Martínez Prado (2), et alii contendunt partes illas dicendas esse simpliciter viventia et animalia, et esse simpliciter in specie viventis et animalis. Prima istarum sententiarum mihi magis arridet, quia partes illæ organismi, quamdiu vivunt, sunt essentialiter entia incompleta et imperfecta, quæ naturaliter compleri nequeunt, et propterea non sunt diuturna, sed sunt in via ad mortem (3). Verum quidquid sit de his, objectio non impedit generalem propositionem, sed tantum illam partem, quam sincere fassus sum non tam perspicue probari validissimo experientia argumentum. In plantis ergo et hydrys cæterisque animalibus, quorum omnes partes abscissæ vivere pergunt, et in nova individua ejusdem speciei succrescunt, difficultas nulla est sive in re ipsa sive in denominatione, nam partes illæ vere merentur nomen vel plantarum vel animalium ejusdem speciei. Quamvis etiam contra cætera animalia imperfectiora objectio nihil probat, nec argumentum a nobis factum infirmat: et solum excitat dubitationem aliquam circa denominationem.

Dices 4.^o Si plantæ atque animalia imperfectiora constarent animabus secundum extensionem divisibilibus, nihil referret, qua parte dividerentur. Sicut enim partes continuæ corporum inorganicorum, sive secundum longitudinem sive secundum transversam lineam secuntur, permanent in esse, idem dicendum foret de partibus viventium. Atqui tamen contrarium ostendit experientia; si enim virgulta vel ramos arboris aut etiam lumbricos vel lacertas longitrorsus disseces, neutra pars vivet. Ergo...

Respondeo 1.^o *neg.* Major. In his enim aliisque similibus nihil cavendum est magis, quam argumentationes a priori temere instituire. Experientia docet partes viventium certo modo divisas diu vitam conservare, et in nova ejusdem speciei individua efflorescere; idque satis est, opinor, ut concludamus animas ejusmodi viventium divisibiles esse. At ex eo quod

(1) In 1.^o part., quest. 76, art. 8, dub. 2.

(2) *De Anim.* lib. 2, quest. 9, num. 29.

(3) *Cf.* S. Thom. 1.^o dist. 8, quest. 5, art. 3, ad 2.^{am}

divisibiles sunt uno modo, non sequitur posse impune dividi quocumque modo, sicut dividuntur formæ inorganicorum. Et ratio est, quia multa viventia, si secundum longitudinem dividantur, amittunt in organismo dispositionem requisitam ad opera vitæ peragenda, proptereaque perire debent. Hoc tamen non puto esse prorsus commune omnibus ejusmodi viventibus; nam hydræ v. gr., sive secundum longitudinem sive in transversum secuntur, possunt protrahere vitam in suis partibus: quare totum ex eo pendet, quod divisio, pro peculiari natura organismi divisi, destruat, vel non, aut ineptam relinquat organizationem ad vitam saltem vegetativam exercendam.—Respondeo 2.^o retorqueo argumentum in adversarios nostros. Nam si divisioe peracta ideo partes istorum organismorum pergunt in vita, quia nova mox producitur anima: ergo partes abscissæ, quocumque tandem modo fieret divisio, deberent in vita manere. Nam modus ipse vel directio divisionis, nihil etiam referre debet ad hoc, ut producat vel non producat nova anima: immo vero ille modus divisionis, qui magis destrueret, vel corrumpet organismum, deberet esse aptior ad educationem novæ animæ, ut jam innumis in superioribus.

66. Dixi propositionem hanc traditam esse ab Aristotele ac S. Thoma; idque probandum est propter auctoritatem quorundam recentiorum, qui quamvis de re philosophica optime meruerint, et in Scholasticorum castris omnino militent, in hac tamen re a communissima veterum sententia recesserunt, et ipsum Stagiritam et Aquinatem aliter interpretantur. *Dicuntur autem*, inquit Philosophus, *et plantæ vivere divisæ et animalium quædam incisorum, iamquam eandem habentia animam specie, etsi non numero* (1). Et alibi: *Sicut... nonnullæ divisæ sejunctaque videntur vivere, propterea quod anima, quæ est in istis, actu quidem in unaquaque planta est una, potentia vero plures, sic et circa*

Mens Aristotelis ac S. Thomæ defenditur.

(1) *Aristot., de Anim.* cap. 5, text. 93, nempe prope fin.; et S. Thom. *ibid.*, lect. 14, paragr. e. Et vide paraphrasin hujus loci factam a P. Sylvestro Mauro (lib. 1, cap. 14, num. 6).

alias videmus animæ differentias fieri, cum inciduntur animalium ea, quæ insecta vocamus (1). Quem locum sic egregie interpretatur S. Thomas: *Quædam partes divise ab eis (plantis), et separata ab aliis partibus, videntur vivere. Et hoc manifestatur per hoc, quod ramusculi abscissi inseruntur, vel plantantur, et coalescunt; quod non esset, nisi remaneret in eis vita, et per consequens anima, quæ est principium vivendi: quod contingit tamquam in unaquaque planta anima sit una in actu, et multiplex in potentia. Sicut enim accidere videtur in formis corporum naturalium inanimatorum, ita in eis, quæ propter sui imperfectionem non requirunt diversitatem in partibus, quod in aliquo uno toto anima est in actu una et plures in potentia, sicut et ipsum corpus est unum in actu, et plura in potentia. Potest enim dividi unumquodque eorum in diversas partes similes specie, sicut patet in aere, aqua et in corporibus mineralibus. Unde oportet, quod si partes sunt similes specie adinvicem et toti, quod forma specifica post divisionem sit in utraque partium. Et eadem ratione, quia anima plantæ imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diversitatem in partibus, unde anima totius potius potest salvari in aliqua partium. Et sic etiam videmus in aliis differentiis animæ, sicut in entomis decisis, idest in animalibus, quæ decisa vivunt, quia utraque partium habet sensum. Quod patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur. Et etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet, etc. (2).*

Eandem sæpe tradit S. Thomas doctrinam: *In illis animalibus, quæ decisa vivunt, est una anima in actu et multæ in potentia; per decisionem autem reducuntur in actum multitudinis, sicut contingit in omnibus formis, quæ habent extensionem in materia (3).* Et alibi: *Animæ minuscule, quæ habent parvam diversitatem in potentiis, perficiunt etiam corpus, quod est quasi uniforme in toto et partibus. Et ideo ad divisionem partium efficiuntur diversæ animæ actu in partibus, sicut etiam in animalibus annulosis et plantis. Non tamen ante divisionem in hujusmodi animalibus*

(1) Arist. de Anim. lib. 2, cap. 3, text. 20.

(2) S. Thom. de Anim. lib. 2, lect. 4, paragr. b.

(3) S. Thom. Qq. disp., quæst. de spiritali creat. art. 4, ad 10.^{am}

quælibet pars dicitur animal nisi in potentia; sicut nullius continui pars est nisi in potentia: unde nec pars ignis est aliquid actu nisi post divisionem (1). Item: *Ex hoc ipso decisio animalis annulosis est violenta et contra naturam, quod pars decisa erat actu pars et perfecta per animam: unde per decisionem materiæ anima in utraque parte remanet; quæ quidem erat in toto una in actu et plures in potentia, etc. (2).* Præterea: *Si anima humana per traductionem seminis esse inciperet, hoc non posset esse nisi dupliciter: uno modo, ut intelligeretur esse in semine actu, quasi per accidens (3) divisa ab anima generantis, sicut semen dicitur a corpore, ut videmus in animalibus annulosis, quæ decisa vivunt, in quibus est anima una in actu, et multæ in potentia, diviso autem corpore animalis prædicti, in qualibet parte vivente incipit anima esse in actu. Alio modo, ut intelligatur in semine esse virtus productiva animæ intellectivæ, ut sic anima intellectiva ponatur in semine virtute, sed non actu (4).* Quæ loca et alia, quæ mox in solutione difficultatum proferemus in medium, sunt adeo perspicua, ut expositione non egeant: quapropter tanta extitit apud veteres Scholasticos et de re ipsa et de mente summorum Magistrorum, Aquinatis et Stagiritæ, opinandi concordia.

67. Verum non desunt graves scriptores nostris diebus, qui non solum aliter interpretentur doctrinam Aristotelis et S. Thomæ, verum etiam communissimam hanc veterum interpretationem graviter carpant (5).

Objecta
quædam
dissipata.

(1) S. Thom. 1.^o disp. 8, quæst. 5, art. 3, ad 2.^{am} Cfr. 2.^o dist. 18, quæst. 2, art. 3, corp.

(2) S. Thom., de Potent. quæst. 3, art. 12, ad 5.^{am}

(3) Jam monuimus superius solum quantitatem dici per se divisibilem, formas vero et substantiam, quantumvis non careant partibus integrantibus, non dici per se divisibiles, sed per accidens.

(4) S. Thom. Contr. Gent. lib. 2, cap. 86, arg. 2.^o

(5) Audiatur v. g. el. A. Farges: «L'explication proposé par Aristote pour ces deux cas (animalium nempe, quæ divisa pergunt vivere) est au fond la même, et se résume dans la formule célèbre: «Le principe de vie doit être simple en acte, et multiple seulement en puissance»; «Necesse est, ut anima vegetatrix actu simplex sit, potentia vero multiplex; item de animâ sensitivâ». Que cette formule soit obscure, comme toutes les formules, j'en conviens sans peine; mais ce

Dicunt 1.^o Totam Aristotelis hac super re doctrinam ad hanc formulam revocari: *Necesse est, ut anima vegetatrix actu simplex sit, potentia vero multiplex: item de anima sensitiva* (1). Atqui duo hæc: *simplex* et *divisibile*, pugnant

n. serait pas une raison de la croire vide ou inintelligible. Appliquons nous à la pénétrer et à la comprendre. Tout d'abord, écartons une interprétation de certains auteurs et même de certains scolastiques qui ont pensé que le principe de vie, quoique simple de sa nature, devenait divisible par le fractionnement de la matière et se multipliait ainsi par division des parties. *Simple* et *divisible* en même temps, ce sont là deux termes inconciliables dans un même sujet; et nous ne comprenons point qu'une chose simple puisse jamais, même accidentellement, avoir des parties, ni actuelles ni potentielles. Ce qui a des parties potentielles est étendu et ne saurait être simple. Le simple, l'unité, a toujours été identifié par Aristote avec l'indivisible: «Unum est indivisibile». Donc, traduire «simplex in actu, multiplex in potentia» par ces mots: simple en acte, divisible en puissance; traduire *multiplex* par *divisible*, me paraît être un contresens, et de plus une contradiction. Que l'on ne dise pas que la forme simple devient par son alliance à la matière, étendue *per accidens*, et qu'étant étendue elle peut être divisible: ce principe est une pure équivoque. La forme simple par son union à la matière correspond à tous les points de la matière de telle façon qu'elle est tout entière dans chaque point de la matière, mais elle ne correspond pas à la matière de façon à se trouver à demi dans la moitié droite, à demi dans la moitié gauche: ce serait nécessaire pour nous autoriser à affirmer qu'elle est devenue étendue. Le centre d'un cercle correspond lui aussi à tous les points de la circonférence, et vous ne dites pas qu'il soit devenu pour cela étendu ni divisible accidentellement. En d'autres termes, ce qui est simple ne saurait être composé de parties, ni divisible en aucune façon. On peut le supposer multiple; mais on ne saurait le supposer divisible sans une contradiction manifeste dont Aristote et S. Thomas ne se sont jamais rendus coupables». Fargès, *La Vie et l'Évolution des espèces*, pag. 79, 80.

Similia habet cl. P. Vallet. Post recitatum communem veterum interpretationem; quamvis pro ea solum Scotum, Durandum, et Suarezium inter Scholasticos laudat, ita pergit: «Une autre réponse, qui aurait nos préférences, peut être donnée au nom de saint Bonaventura et de saint Thomas. Elle n'admet pas que la division de la matière entraîne la division, même accidentelle, du principe vital, conformément à ce principe du Docteur angélique: *Quod est simplex est indivisum et actu et potentia* (1 p., quest. 11, art. 1, corp.)» Vallet, *La Vie et l'Herédité*, pag. 92.

(1) Arist., de *Juventute*, cap. 2, paragr. 7. Cfr. de *Anima*, lib. 2, cap. 2, paragr. 8.

inter se; nec *simplex* potest partes habere sive actu sive potentia, siquidem, docente S. Thoma, *quod est simplex, est indivisum et actu et potentia* (1).

Resp. neg. Majorem; Aristoteles enim non scripsit animam esse actu simplicem, ἀπλοήν, sed actu unam, μίαν, et potentia multiplicem (2). Unum autem non necessario est simplex, sed potest esse vel simplex vel compositum. Unde ruit tota vis argumentationis, utpote quæ in sola vi vocis *simplex* innitebatur. Unum enim actu et multa in potentia certe non pugnant inter se, sed talia sunt omnia prorsus entia composita. Audi S. Thomam in eo ipso loco, unde verba in objectione relata desumpta sunt: *Unum convertitur cum ente. Nam omne ens aut est simplex, aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum, et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse* (et consequenter non est ens), *quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed postquam constituunt, et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est, quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est, quod unumquodque sicut custodiit suum esse, ita custodit suam unitatem* (3). Nempe omne ens simplex sive compositum, quod vere sit ens, et non entia, est unum. Atqui omne compositum divisibile est. Ergo aliquid unum, nempe compositum, quod actu est unum, potest esse divisibile, et consequenter est multa in potentia. Similia docet alibi S. Doctor sæpe; unum dumtaxat testimonium proferam speciminis instar: *Unum... hoc modo dicitur, sicut et ens. Ens autem simpliciter est substantia... Et ideo quæcumque sunt unum secundum substantiam, sunt unum simpliciter, et multa secundum quid; sicut totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est unum simpliciter, nam totum est ens, vel unum simpliciter, partes vero sunt entia et substantiæ in toto* (4). Illa

(1) S. Thom. 1 p., quest. 11, art. 1.

(2) En verba ab ipso clarissimo adversario nostro fideliter relata in nota: Ἀνάγκη δὲ καὶ τὴν ἁπλοῦς φύσιν ἐνεργείᾳ μὲν ἐν τοῖς ἔχουσιν ἓνα μίαν, δύναμις δὲ πλειῶς: ὁμοίως δὲ καὶ τὴν αἰσθητικὴν ἀρχήν.

(3) S. Thom. 1 p., quest. 11, art. 1, Cfr. ibid. ad 2.^{um}

(4) S. Thom. 1. 2, quest. 17, art. 4.

vero clarissima sunt: secundum quod aliquid se habet ad indivisionem, ita se habet ad unitatem; quia secundum Philosophum (5 *Metaph.* text, 8, 9, 10, 11, 12.) ens dicitur unum in eo quod non dividitur. Et ideo quæ sunt indivisa per se, verius sunt unum, quam illa, quæ sunt indivisa per accidens, et inter illa quæ sunt unum per se, verius sunt unum, quæ sunt indivisa simpliciter, quam quæ sunt indivisa respectu alicujus vel generis vel speciei vel proportionis. Unde etiam non dicuntur simpliciter unum, sed unum vel in genere, vel in specie, vel in proportionem. Et quod est simpliciter indivisum, dicitur simpliciter unum, quod est numero unum. Sed in istis etiam invenitur aliquis gradus. Aliquid enim est, quod quamvis sit indivisum in actu, est tamen divisibile potentia, vel divisione quantalatis, vel divisione essentiali, vel secundum utrumque. Divisione quantitatis, sicut quod est unum continuitate; divisione essentiali, sicut in compositis ex forma et materia, vel ex esse et quod est; divisione secundum utrumque, sicut in naturalibus corporibus (1). Et eadem est doctrina Aristotelis circa conceptum unius et unitatis, ut patet ex ejus *Metaphysica* (2). Certum ergo est ex Aristotele et S. Thoma posse dari aliquid vere unum actu et divisibile in plura et hoc sensu multiplex in potentia. Unde donec probent præclari adversarii, summos illos Philosophos, cum docuerunt animam imperfectorum viventium esse unam in actu, intellexisse simplicem, seu unam unitate simplicitatis vel indivisibilem, stat omnino communis, quam dedimus, interpretatio. Immo vero ex hoc ipso novum equidem colligo argumentum. Nam ut ipsimet doctissimi viri assumebant superius ex S. Thoma, quod est simplex, est indivisum et actu et potentia. Atqui ex Aristotele et S. Thoma, ut vidimus, anima plantarum, quæ divisæ pergunt vivere, est actu una et potentia plures: et similiter anima insectorum, etc. Ergo ex Aristotele et S. Thoma anima brutorum imperfectorum non est simplex et indivisibilis. Illud etiam adjungo, etiamsi Aristoteles non scripsisset in citato

(1) S. Thom., 1.^a dist. 24, quæst. 1, art. 1.

(2) Vide Aristot., *Metaphys.* lib. 5, cap. 6. Cfr. S. Thom., lec. 7, paragr. c., et lect. 8 initio.

loco animam esse unam, sed simplicem; adhuc vocem hanc eodem sensu fuisse interpretandam. Vox enim hæc, *simplex in actu et multiplex in potentia*, non potest habere alium rectum sensum præter hunc: una seu indivisa in actu, et multiplex in potentia, seu divisibilis. Quomodo enim illud, quod est stricte et proprie simplex seu indivisibile ac partibus omnino carens, fieri possit vere multiplex? Judicet ergo alii, num nostra et communis interpretatio sit absurda et contradictoria, quemadmodum arbitratur Rev. Dominus, cujus opinionem impugnamus.

Dicunt. 2.^o Secundum nostram interpretationem animæ hujusmodi essent *extensæ per accidens*, nec essent totæ in tota materia, et totæ pariter in singulis partibus. Atqui forma simplex per suam unionem cum materia nequit fieri *extensæ per accidens*, sed est omnino tota in singulis punctis materiæ. Ergo quamvis ex mente Aristotelis et S. Thomæ animæ prædictæ dici possint *multiplices virtute*, nequeunt tamen absque contradictione dici divisibiles.

Resp. conc. Major., et *dist. Minor.* Forma simplex secundum essentiam nequit fieri, etc., *conc.*; forma simplex quidem essentialiter vel secundum essentiam, sed composita integraliter, *neg.* Et *neg. conseq.* Ne cui autem peregrina videatur hæc doctrina, audiatur S. Thomas: *Quia... quaritur, an (anima) sit tota in toto et tota in qualibet parte ejus, considerandum est, qualiter hoc dicitur. Potest autem attribui totalitas alicui formæ tripliciter, secundum quod tribus modis convenit aliquid habere partes. Uno enim modo aliquid habet partes secundum divisionem quantitatis (en totum integrale), prout scilicet dividitur numerus aut magnitudo (i. e. quantitas discreta, vel quantitas aut extensio continua). Uni autem formæ non competit totalitas numeri nec magnitudinis, nisi forte per accidens, puta in formis, quæ per accidens dividuntur divisione continui, sicut albedo per divisionem superficiæ. Alio modo dicitur aliquid totum per comparisonem ad partes essentielles speciei (en totum essenziale), sicut materia et forma dicuntur partes compositi; genus et differentia partes quodammodo (quia nempe sola ratione distinguuntur) speciei... Tertio modo dicitur totum per comparisonem ad partes virtutis seu potestatis; quæ quidem partes accipiuntur*

secundum divisionem operationum (en totum quod vocant potestativum). Si qua igitur forma accipiatur, quæ dividitur per continui divisionem, et quærat de ea, utrum sit in qualibet parte corporis tota, utpote utrum albedo sit in parte superficiei tota; si accipiantur per comparationem ad partes quantitativas, quæ quidem totalitas pertinet ad albedinem per accidens, non est tota in qualibet parte, sed tota in toto et pars in parte. Si autem quærat de totalitate, quæ pertinet ad speciem, sic tota est in qualibet parte; nam æque intensa est (et ejusdem prorsus speciei) albedo in aliqua parte, sicut in toto. Sed verum est, quod adhuc secundum virtutem non est tota in qualibet parte. Vides hic, ni fallor, doctrinam contradictorie oppositam doctrinæ præclari adversarii circa extensionem per accidens formarum simplicium simplicitate solius essentiali. Verum pergit S. Doctor, et generalem hanc doctrinam sic applicat ad animam: *Supposito autem ad presens, quod sit una tantum anima in corpore hominis (de hoc enim postea quæretur); dicendum, quod non dividitur divisione quantitatis, quæ est numerus. Planum est etiam, quod non dividitur divisione continui præcipue anima animalium perfectorum, quæ decisa non vivunt. Secus enim esset forte de animalibus animalium annulorum, in quibus est una anima in actu et plures in potentia, ut Philosophus docet (2.^o de Anima, textu 20). Relinquitur igitur, quod in anima hominis et cujuslibet animalis perfecti, non potest accipi totalitas nisi secundum perfectionem speciei et secundum potentiam seu virtutem (1).*

Dicunt. 3.^o Certum esse debet ex mente Aristotelis, unum in actu et multiplex in potentia non posse idem sonare, ac indivisum actu et divisibile. Ergo frustra laboramus in nostra interpretatione tuenda. Sane ipsemet Philosophus fuse ac disertè refutat opinionem eorum, qui animam divisibilem volebant. En ejus verba (2): *Sunt qui dicant ipsam (animam) esse partibilem, nosque alia parte intelligere, alia vero cupere.—Quid igitur tandem continet animam, si partibilis sit?*

(1) S. Thom. Q3. disp., quæst. de Anim. art. 10.

(2) Arist., de Anim., lib. 1, cap. ultim. text. 30, 91, 92, paulo ante finem libri.

quippe certe non corpus, utpote cum contra potius videatur anima corpus continere: quapropter et egressa (anima), dissipatur corpus, atque putrescit. Si igitur aliquod aliud ipsam unum faciat, illud erit potissimum anima. At oportebit de illo etiam rursus quærere, utrum unum, an nullarum sit partium: nam si unum, cur et anima continuo non unum erit? Sin partibile, rursus ratio quæret, quidnam sit id, quod illud contineat: atque hoc pacto fit sane in infinitum abitio (1).

Resp. neg. antec.; ad cujus probationem neg. consequens, quod ex Philosophi testimonio infertur. Mens enim Stagiritæ non fuit probare omnem animam esse quomodolibet divisibilem, sed eorum opinionem excludere, qui volebant non unam esse in vivente animam, sed plures ac diversas specie animas, in diversis corporis partibus existentes, alteram nempe intellectivam vel cognoscitivam, alteram appetitivam, quod docuisse dicitur inter alios Plato, qui tres in uno homine animas ponebat, primam in cerebro ad intelligendum, alteram sensitivam in corde, tertiam vegetativam in hepate; et ejusmodi animas vocat partes, totalis videlicet animæ in vivente existentis. Id probatur in primis, quia contextus patitur hanc explicationem, qua posita optime cohæret, et intelligitur totus locus. Nam si quis teneret animam esse hoc pacto ex diversis specie animabus constantem, quæ diversas organismi partes informarent, fere sicut in colonistarum sententia; bene contra ipsum procederet ratio Philosophi, quod nempe tunc assignandum esset aliquid, quod diversas illas animas contineret unitas ad hoc, ut unum organismum viventis constituerent. Contra vero si sermo esset de partibus dumtaxat integrantibus, in quas divisibilis foret anima ratione quantitatis, aristotelicum argumentum nihil valeret, vel si quid probaret, probaret etiam nullam substantiam corpoream esse divisibilem in partes integrantes, quod absurdum est atque inauditum. Præterea Stagiritæ in eo ipso loco paulo inferius disertè docet illud, quod nuper primo loco retulimus, nempe plantas et quædam animalia secta vivere, quasi eandem habentia animam specie, etsi non numero. Nam his verbis continetur novum argumentum,

(1) Vide cl. Farges, loc. cit. pag. 81.

quod urget Aristoteles contra eam sententiam dicentium animam esse *partibilem, nosque alia intelligere, alia vero cupere*. Argumenti porro vis, quemadmodum paraphrasi declarant S. Thomas, Toletus et Sylvester Mauri, huc revocatur: «Videmus quod plantæ possunt ita dividi, ut partes vivant anima ejusdem speciei et rationis cum anima totius; atque hoc idem cernitur in iis animalibus, quæ vocantur insecta, quæ divisa moventur, et sentiunt secundum omnes partes.» Quid, quæso, pronum erat inde inferre? nullamne animam esse posse divisibilem? Certissime non. Egregie autem concluditur sic: «Ergo signum est, quod, in diversis partibus animatorum datur anima ejusdem rationis cum anima totius, ac potens exercere omnes operationes, quas exercet anima totius; ac proinde «falso dicunt adversarii, (quos Aristoteles ibi refutandos suscepit) in diversis partibus corporis dari partes animæ specie diversas ita, ut una pars exercent unum genus operationum, alia pars exercent aliud genus operationum» (1). Quid plura? Ita interpretantur Philosophum communissime veteres scriptores, neque hujusmodi testimonio moveri potuerunt, ut suspicarentur illum sibi adversari auctores innumeri, itque gravissimi, qui divisibilitatem plantarum et animantium imperfectiorum tenuerunt.

Dicunt 4.^o Formula illa aristotelica, secundum quam anima imperfectiorum viventium dicitur una in actu et multiplex in potentia, potius videtur ita explicanda, ut anima ipsa semper sit reapse simplex et indivisibilis, et per actum divisionis organismi non præcedens anima dividatur in partes, sed alia nova generetur anima ejusdem speciei, quæ partem abscissam informet; et propterea dicatur multiplex *potentia*, id est *virtute*, quia nimirum organismus, anima informatus, est in potentia proxima ad hoc, ut, adveniente divisione, e potentia materiæ nova educatur forma vel anima. Quare in divisione plantarum et imperfectiorum animalium locum habere videtur quædam generatio secundaria, quæ

(1) Sylvester Mauri, *Aristotelis Opera omnia* etc., tom. 4 de *Anim.*, lib. 1, cap. 14, num. 6. Cfr. S. Thom. et Cardin. Toletus, in eundem locum Aristotelis.

cognitionem quamdam retinet vel illa generatione proprie dicta, vi cujus cellula primitiva evolvit sese, atque in varias scindit cellulas derivatas. Doctrinam hanc discrete tradidisse videtur S. Bonaventura: *Quia corpus annulosum est modicæ organizationis, et quasi consimilis in partibus et in toto; ideo in qualibet sui parte est anima in proxima dispositione ad hoc, quod sit in actu, et ideo, facta divisione, virtute prioris formæ et beneficio corporis cælestis subito inducitur forma* (1). Idemque statim confirmat S. Doctor, rejiciens alium modum rem explicandi, verbis hisce conceptum: *Quidam... dicunt, quod anima multiplicatur, cum sit spiritalis, sicut punctus ad divisionem lineæ, et species ad divisionem speculi. Veruntamen in neutro horum intelligendum est, quod illud idem, quod fuit unum, fiat plura: et ideo præcedens via est magis plana*. Similia docet S. Thomas: *In animalibus, quæ decisa vivunt, est una anima in actu, et multa in potentia; per decisionem autem reducuntur in actu multitudinis, sicut contingit in omnibus formis, quæ habent extensionem in materia* (2). Ita cl. P. Vallet (3).

Resp. neg. assertum, Quid sibi velit unum in actu et multiplex in potentia, per se satis patet, et constat ex communissimo sensu Scholasticorum: nempe est illud, quod quamvis actu non sit multa, potest tamen fieri multa, seu quod licet actu sit indivisum, potest nihilominus dividi, vel est divisibile. Divisibile autem non est, quod nullas habeat partes, in quas dividatur, atque adeo quod non est compositum. Ergo, ut anima imperfectiorum viventium sit potentia multiplex, oportet, ut sit aliquo modo composita; non quidem ex partibus essentialibus, quia est forma, omnis autem forma est secundum essentialiam simplex; sed integraliter seu extensive. Si autem animæ hujusmodi dicerentur potentia multe in eo sensu, quem exponit egregius adversarius, quatenus videlicet ad divisionem materiæ nova produceretur anima; nonne posset etiam anima brutorum per-

(1) S. Bonaventura, 2.^a dist. 15, art. 1, quest. 1, in solutione difficultatum, prope fin.

(2) S. Thom. Qq. disp., quæst. de *spirit. creat.* art. 4, ad 19.^{am}

(3) *La Vie et l'Hérédité*, pag. 92, 93; Cfr. cl. P. A. Farges, op. cit. pag. 82 seqq.

fectiorum dici eodem pacto una actu et potentia multa, quia nempe in generatione, postquam materia germinis deciditur a parentibus, novam suscipit animam, atque ita individuum generatur? Atqui tamen anima perfectiorum animantium in sententia illorum, qui eam simplicem esse putant, nullatenus dicitur potentia multa. Præterea sensum, in quo anima imperfectior dicitur una actu et plures in potentia, declarat constanter S. Thomas citatis superius locis ad eum modum, quo formæ materiales per accidens extensæ in materia, et quilibet continuum dicuntur ante divisionem unum actu, et per divisionem fieri possunt multa. At formæ hujusmodi, et continuum, per divisionem fiunt multa, ut superius notabamus, non quia de novo aliquid producit, sed quia separatur partium entitas, quæ prævie existebat unita. Ergo nequit admitti adversariorum explicatio. Verum hæc satis declarata manent in præcedentibus.

De S. Bonaventuræ testimonio nihil dicam, quia jam monui Seraphicum Doctorem cum paucissimis in contraria fuisse sententia. Locus ex S. Thoma productus manifeste contrarium probat, quia non est nisi applicatio doctrinæ, quam ibidem in corpore articuli tradiderat hisce verbis: *Restat inquirendum quod dicitur, totam animam esse in toto, et totam in singulis partibus. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod triplex totalitas invenitur. Prima quidem est manifestior secundum quantitatem, prout totum quantum dicitur, quod natum est dividi in partes quantitatis: et hæc totalitas non potest attribui formis nisi per accidens, in quantum scilicet per accidens dividuntur divisione quantitatis, sicut albedo divisione superficiei. Sed hoc est illarum tantum formarum, quæ cõextenduntur quantitati; quod ex hoc compelli aliquibus formis, quia habent materiam similem et in toto et in parte; unde formæ, quæ requirunt magnam dissimilitudinem in partibus, non habent hujusmodi extensionem et totalitatem, sicut animæ, præcipue animalium perfectiorum. Secunda autem totalitas attenditur secundum perfectionem essentialiæ, cui totalitati etiam respondent partes essentialiæ; physice quidem in compositis materia et forma; logice vero genus et differentia; quæ quidem perfectio in formis accidentalibus recipit magis et minus, non autem in substantiabilibus. Tertia autem totalitas est secundum virtutem. Si ergo*

loqueremur de aliqua forma habente extensionem in materia, puta de albedine; possemus dicere, quod est tota in qualibet parte totalitate essentiali et virtutis, non autem totalitate prima, quæ est ei per accidens; sicut tota ratio speciei albedinis invenitur in qualibet parte superficiei, non autem tota quantitas, quam habet per accidens, sed pars in parte (1). Qui locus similissimus est illi, quem supra retulimus ex S. Doctore in quæstione de Anima, articulo 10. Relege nunc verba Aquinatis a clarissimo adversario in objectione relata, et videbis illa omnino doctrinam nostram continere.

§ IV.—RESOLVITUR QUÆSTIO CIRCA ANIMAS PERFECTORUM ANIMANTIUM.

68. Venio jam ad perfectiora animalia, quorum animæ sunt divisibiles, sicut animæ viventium imperfectiorum, an vero indivisibiles, sicut anima rationalis; mihi quidem satis obscurum est atque perplexum. Hinc enim et inde hæud leves militant rationes, externa vero prababilitas utrinque maxima est; nam simplicitatem tuentur fere omnes Thomistæ, duce Aquinate, quamvis S. Doctor nullibi, quod ego sciam, peculiarem de hac re quæstionem instituerit; at pro divisibilitate pugnant Scotistæ, ac fere omnes Nostrates, quibus prævere aliquot nobilissimi Thomistæ, ac nominatim Capreolus, Paulus Soncinas, Chrysostomus Javellus, et Joannes Martinez de Prado, ut jam superius monuimus. Juvat ergo utriusque sententiæ argumenta perpendere.

Argumenta sententiæ asserentis indivisibilitatem animæ brutorum perfectiorum.

Argum. 1.^{um}, quod ex Angelico Doctore fieri potest, desumitur ab experientia. Nam in animalibus perfectis idem cernitur omnino, quod in homine, ut si membrum amputetur, nequeat utraque pars vitam retinere, sed vel utraque pereat, vel solum pars major ac potior sit superstes, altera vero illico perire debeat. Sic accidit, si cani alterive animalij ex perfectioribus amputetur brachium, pes, cauda, caput, etc. Quamvis enim in ejusmodi parte minus principali, postquam

Difficultates
controverſiæ.

Argumenta
sententiæ
negatiæ:
primum,

(1) S. Thomas, de spiritali creat. art. 4.

amputata fuit, sæpe motus aliqui locales cernantur, non tamen videntur vitales, sed pure mechanici et in causas externas potius refundendi. Ergo quemadmodum superius de plantis atque animalibus perfectioribus, ex eo quod utraque pars abscissa vivere queat, concludebamus animas illorum esse divisibiles, ita ex contrario phænomeno concludendum erit animas perfectiorum animantium indivisibiles esse, sicut est etiam ipsa rationalis anima. **Probatur consequens**; quia si quaelibet pars animalis haberet suam partialem animam vel partem animæ, et in portione sufficienti divideretur, non apparet ratio, cur saltem per aliquod tempus non posset durare, sicut durant membra abscissa quorundam animantium, quæ postea moriuntur; sed statim pereat, quin vel momentum temporis vitam conservet suam.

solvitur:

Respondent adversarii, *negando* consequentiam, contenduntque rationem, cur pars abscissa non vivat, non esse, quia sibi non respondeat pars animæ distincta a parte animæ informantis reliquam corporis partem, sed quia illa animæ particula pendet ex unione atque influxu reliquæ animæ; quæ dependentia major est in brutis perfectioribus, quam in imperfectioribus et in plantis, ob præstantiorem videlicet virtutem ac perfectionem talis animæ, quæ propterea existere nequit nisi in ea integritate, in qua valeat totam, vel certe præcipuam, suam virtutem exercere, ac proinde habeat apparatus organorum necessarium. Et propterea in plantis et multis animalibus imperfectis singulæ partes vivere queunt, et in nova individua ejusdem speciei succrescunt, in aliis autem pars abscissa licet per aliquod tempus vitam conservet, mox tamen vivere desinit. Immo vero in ipsis plantis et imperfectioribus animantibus, ut jam superius monuimus, si divisio fiat in partes minimas, nulla earum vitam servat. Ex quo patet, posse animam divisibilem esse, et nihilominus postulare unionem cum aliis certamque quantitatem organismi, ut possit pergere in vita (1). Propterea etiam multi cum Eximio Doctore, (2) duplicem rationem indivisibilitatis

(1) Cfr. Conimbric. (*de Anim.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 8, artic. 3, in responsione ad primum argumentum primæ sententiæ), Compton (*de Anim.*, disp. 8, sect. 1, num. 5).

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10, num. 31.

in formis distinguunt: aliæ namque sunt stricte ac proprie indivisibiles, quia carent partibus, in quas dividi queant; aliæ sunt indivisibiles minus proprie, quia nempe quamvis partes habeant, eæ tamen sunt tales, quæ aut nequeant naturaliter invicem separari, vel certe non ita separentur, ut separatæ conservari possint, sed statim ac dividuntur, corumpantur. Voluntque animas brutorum perfectorum, licet proprie sint divisibiles ac partibus constent, posse nihilominus hoc modo improprie dici indivisibiles.

Argum. 2.^{um} Ex analogia cum homine. Nam in hisce animalibus reperitur tanta fere varietas organorum ac tantus consensus inter illa, quantus in homine: habent enim certa organa ad virtutes singulas deputata, ut cerebrum et sensoria externa, cor, hepar, stomachus, etc. Atque inter has partes talis inest consensio, ut læso tactu, cor moveatur, et si quid imaginatio apprehendat ut nocivum, imperet motum, quem illico pedes exequuntur. Atqui ejusmodi consensus videtur omnino probare animæ simplicitatem atque indivisibilitatem in animalibus. Sane consensus iste videtur obtineri non posse, quin eadem sit entitas animæ omnia gubernantis, et in omnibus illis organis, utique per diversas potentias vitales, operantis. Identitas autem animæ indivisibilitatem importat; si enim anima foret divisibilis, quo, quæso, pacto pars animæ, quæ in pede residet, cognoscit, quod jubet pars, quæ est in capite, illudque exsequitur? Ratio ergo tanti consensus ea est, quod tota simplex anima est in capite, ac tota in pede, atque ita porro (1). **Confirmatur**, quia si equus altero pede tangat aquam frigidam, altero ignem, discernit inter utramque sensationem, et refugit illam, quæ sibi nocet, alteram quærit, vel certe permittit. At ejusmodi judicium ac discretio arguit identitatem animæ, utrumque objectum percipientis, siquidem nemo potest inter duo vel plura discernere, quin omnia illa cognoscat. Ergo eadem anima est in utroque pede equi, atque adeo anima illius simplex sit et indivisibilis, oportet (2).

secundum,

(1) Vide Suarez, *de Anim.* lib. 1, cap. 11. Cfr. apud Lossada, *Animastica*, disp. 3, cap. 2, num. 27.

(2) Vide apud Lossada, loc. cit. *Confirm. 1.^a*; Suarez, loc. nup. cit.

solvitur:

Respondent adversarii ad hæc in primis, similia locum habere in animalibus imperfectis, in quibus tamen communissime censetur anima divisibilis. Deinde ad argumentum principale, *negant*. Minor; quia consensum illum oriri arbitrantur non ex indivisibilitate, sed ex actuali unitate animæ; cum enim partes animæ bruti, quamvis distinctæ, sint tamen inter sese unitæ, unamque actu indivisam efficiant, facile possunt «commercium, sympathiam, aut subordinationem habere propter bonum totius, quod simul constituere naturaliter exigunt. Unde simul ac sensus externus, v. gr. visus aut tactus, objectum aliquod percipit, speciem illius ad sensum internum, in cerebro situm, citissime transmittit per nervos sensorios, toto corpore distributos. Sensus internus sive phantasia indolem objecti discernens, protinus appetitum movet, ut aversetur objectum noxium, et prosequatur innoxium. Appetitus autem cæteras corporis partes et potentias movet, seu determinat tum per impulsione spirituum (quam efficit per potentiam impulsivam secum identificatam vel intime conjunctam), tum per naturalem sympathiam aut subordinationem, in eo consistentem, quod reliquæ potentiæ naturaliter exigunt divinum concursum ad actus suos ex suppositione actus appetitivæ partis, qui actus est velut imperium et prævia conditio respectu cæterorum. Hæc etiam doctrina valet in homine, si potentiæ distinguantur ab anima», ut superius probatum est distingui. «Ex ea vero facile percipitur, cur omnes equi (vel cujusvis animalis perfectioris) partes commoveantur, dum aliqua pungitur, quia scilicet læsæ partis dolorem cognoscit protinus phantasia, et hæc protinus excitat appetitum retrahendi partem illam a causa doloris, quo appetitu determinantur partes omnes, ut motu suo retractionem adjuvent. Eodem pacto determinantur pedes ad fugam, cum visus hostem percipit» (1).

Ad confirmationem similis reddi solet responsio, videlicet distinctionem inter objecta duo, distinctis partibus

(1) Lossada, loc. nup. cit. num. 29. Cfr. Compton (loc. cit. num. 7, 8), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 15, quæst. 2, sect. 1, paragr. 4, fin).

perceptam, fieri a sola imaginativa sive ab uno eodemque sensu interno, ad quem species utriusque objecti statim perveniunt, licet incipiant a distinctis partibus corporis et animæ (1).

Argum. 3.^{um} «In animalibus vehemens operatio unius partis impedit operationem alterius, ut grandis dolor tactus impedit actionem visus; quod non contingeret, si diversæ partes animæ in diversis partibus viventis essent; posset enim altera sine alterius concursu operari, itaque licet una esset intenta vel defatigata, altera non ob id defatigaretur, aut impediretur a suo munere». Hujusmodi porro experientia ideo magnam probabilitatem faciunt, quod ex nulla alia re videatur melius colligi identitas principii, quam ex consensu et consonantia potentiarum illius. **Confirmatur 1.^o** quia non cernitur in plantis talis consonantia; verum «licet una pars debilitetur, alia perfecte exequitur suam operationem, nisi forte sit media, per quam trahit alimentum, quod est per accidens. In seculibus quoque animantibus nihil tale reperitur» (2). **Confirmatur 2.^o** Quia si animæ brutorum essent indivisibiles, non darentur majora indicia indivisibilitatis, quam quæ nunc tot hujusmodi experientia nobis suppeditant (3).

Respondent quidam non esse prorsus certum phænomenum, quod asseritur (4). Sed quidquid de hoc sit judicandum, sat communis adversariorum responsio est, rationem, cur una parte intensius operationi incumbente, reliquæ segnius operentur, esse posse, vel quia pars intense operans magnam ad se trahit copiam spirituum vitalium aut animalium, quibus aliæ partes interim destituuntur, vel etiam quia phantasia nimium intenta in partem operantem, nequit aliam simul dirigere seu appetitu movere (5). Et per

(1) Lossada, *ibid.* num. 30.

(2) Suarez, loc. cit. *de Anim.*, num. 11.

(3) Cfr. apud P. Anton. Mayr, loc. cit. num. 189.

(4) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 32.

(5) Vide Lossada (loc. cit. num. 32), De Benedictis (*Philos. perip.* tom. 3, lib. 8, quæst. 1, cap. 6, paragr. 3, in respons. ad 2.^{am} probationem. *Confirmationis* Objic. 4.), Suarez lusitan. (*de Anim.* tract. 1, disp. 1, sect. 5, paragr. 5, num. 142).

tertium.

solvitur: